

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Disputationes Chirurgicæ Selectæ

Haller, Albrecht von

Lausannæ, MDCCCLV.

VD18 90538919

LVIII. Dissertatio Medico-Chirurgica, De Morbis A Situ Intestinorum
Praeternaturali.

urn:nbn:de:gbv:45:1-16590

DISPUTATIONUM
CHIRURGICARUM
SELECTARUM.
PARS QUARTA
DE MORBIS ABDOMINIS.

L V I I I

D I S S E R T A T I O
M E D I C O - C H I R U R G I C A ,
D E
M O R B I S A S I T U
I N T E S T I N O R U M P R Ä T E R N A T U R A L I .

Quam Praefide

D. D. POL. GOT. SCHACHERO,

Tuebatur

M. GOT. FRIDERICI.

Lipsiæ 11 Maii anno 1721.

Tom. III

A



D I S S U T A T I O N U M
C H I R U R G I C A R U M
S E L E C T A M
P A R T I A L E R A
D E M O R B I S A B D O M I N I S

L A U T
D I S S E R T A T I O
M E D I C O - C H I R U R G I C A
D E
M O R B I S A S I T U
I N T E S T I N O R U M P R A X I T E R I A R Y
Dr. med. Fr. Schäffer

D U P O L G E T . S C H A C H E R O

M . G O T F R I D E R I C I

Dr. med. Fr. Schäffer

A

111



P R A E F A T I O.

J I I . 2

§. I.

Quantumvis intestina sint tetra scybalorum hospitia & squalida sordium receptacula, eoque sine in imo ventre collocata, ut a sublimi rationis arte impuritates longissime abeant, utque horum ministerio sordes ex corpore commodius eliminarentur, tantum tamen abeat, ut anfractuosi illi & varie circumgyrati canales fatido illi operi, ut ut economia animali persalvatur sint unice a natura destinati, ut potius in iis nectar illud vitale, chyli nomine insignitum, sanguinique ac ceteris fluidis nec non partibus solidis conservandis nutritiisque adeo necessarium, paulo perfectius elaboretur, atque ab impuro segregetur. Namque eum in finem non modo prememorata intestina ex inferiori ventriculi orificio educuntur plicisque mesenterii mirabilem in modum adiectuntur, verum in eorum quoque cavitatem variis succi confluant, qto cooperante mirifica; qua donata sunt, structura prestantisimo illo opere expedite perfungi queant. Ut vero universi corporis salas a bona harum partium constitutione dependet; ita contra variis iisque permultis morbis adfecta non dumtaxat molestias in corpore multifarias excitant, sed & non raro idem in pessimum statum conjiciunt, aut penitus enecant. Ex infinitis, quibus corripiuntar morbis, eos, qui a situ eorum morbo atque a statu naturali deflectentes dependent, ad examinius incidentem revocare in praesenti fert animus.

§. I.I.

Uterum gravidum ultra umbilicum paulatim eſſurgentem intestina urgere, premere, atque imprimis ileon a ſede naturali dimovere, denatarum gravida- rum ſectio perſpicie docet. Etenim uti ileon gyroſo flexuoſoque dictu progrediens ac ceteru longitudine non parum ſuperans ſub umbilico ad ilea, hypogaſtrium & pelvum deſcendit, peritoneo muſculos abdominis interne cingenti immediate accumbens, ita gravidæ abdomenne circa poſtrem gelaſtationis tempora diſecto, uterus mirum in modum expaſſus pelvum, hypogaſtrium, ilea & regionem um- bilicalem occupans, nullo intefiino aut omento anteriori tectus, ſed peritoneo immediate ſubſtratus, nudus in conſpectum prodiſ, ileo interea temporis ſupe- riora verſus & ad latera reclinato. Neque vero prefracte negaverim, a ſitio hiuius intefiini mitato, & eodem in anguſtius ſpatium compulſo, varias, a qui- bus raro gradiuae ſunt inuitioes, moleſtas excitari, cum facile evenire poſſit, ut nunc flatum, minic aliorum contentorum progressus remoretur, atque ideo jam ſegnitie aki, jam inflationi abdominis, jam dolori fixo ſimilique malo fo- mes prebeat. Nibilo tamen ſecius cum ſolemni naturæ cursu mutatum huius

A 2 *intesti-*



P R E F A C T I O.

intestini situm in gravidis observemus, atque is arte corrigi nec possit, nec debet, non est cur eidem prolixius perscrutando imprudentiarum inhæreamus.

§. III.

Neque situm intestinorum a naturali non nihil deflectentem, quem in ventris observamus, prolixè commemorabo. Siquidem abdomen modo flacidum, modo tensum ad femora & fere ad genua usque interdum protendi, non modo præpingues, sed & feminine obesa perinde ac graciles post partum negligenter tractat & testantur. Ut namque abdominis musculi gestationis tempore insigniter expansi post fætus exclusionem flaccescunt, paulatim demum leniori contractioni pristinam robur atque figuram recuperantes; ita facili negotio accidere potest, ut propter fasciarum abdomini provide applicandarum neglectum, nec non copioſi flatulentique cibi ac potus ingurgitationem intestina inflata ponderosaque languidorum muscularum renitentiam superent, eosdemque pedetentim extendendo efficiant, ut tandem abdomen saccum veluti quenquam ad femora propendentem formet. Jam vero istiusmodi saccus non est vacuus, sed intestinis eo usque ac veluti extra consuetos abdominis limites prolapsus repletus. Hinc ejusmodi homines quidem ambulationis tempore aliquid incommodi sentiunt, & ad alvi sequitatem & ab ea pendentia mala haud parum sunt proclives, tamen cum hac & similia accidentia parvi plerunque faciant, & præterea alimenta copiosa appetant, ac ceteroquin bene satis se habeant, vix de auxilio medico sunt solliciti, quo fieri solet, ut malum irveterascens postea omnem remedium efficaciam eludat.

§. IV.

Præterea interdum colon Sylvio [a] Autore præter consuetas naturæ leges usque ad umbilicum & quandoque usque ad vesicam insigni anfractu per medium abdomen volvit, unde predictus auctor harum rerum ignarus erroris arguit, qui etiam saltent dolorem, qui partem abdominis superiorem anterioremque cinguli modo cingit & torquet, colicam nuncupare solent. Atque unum tantum intestinum signatis forma intortum in admodum voraci Bartholino [b] teste observavit Cabrolius. Etenim uti eodem auctore animadvertente animalia, quo rectiores ductus habent a ventriculo ad anum, eo gulosiora sunt; quo convolutiores, eo continentiora; ita voracitatis causam non inepte ab intestino justo breviori dederit, cum probabiliter multæ alimentorum partes indigestæ aut etiam digestæ intra breve temporis spatium anno fuerint exclusæ, quarum jactura ut tempestive inflauraretur, frequentiori opus erat appetitu. Paucis ante diebus Cl. Præces infanticidam publice dissecabat, in qua intestina tenuia omnia sinistram saltem abdominis partem occupabant, colon vero triplicem anfractum memorabilem formabant; quippe ex ileo dextro assurgens ad spithame longitudinem revol-

[a] Pr. Med. L. I. c. 14. §. 11.

[b] Anat. L. I. c. 10. p. 81.



revolvebatur, ad hepar reascendens ibidem alterum anfractum formabat; siquidem altius quam par erat ad hepar ascensio revolvebatur ad imam fundi partem, sub qua ad hypochondriū finistrum delatum tertium formabat anfractum, utpote quod ad superiorem diaphragmati partem delatum, ibidem non modo cum diaphragmate cohæbat, atque lienem totum sub eodem delitescentem occultabat, sed etiam a superioribus revolutum tandem per viam ordinariam ad rectum descendebat. Sed uti istiusmodi naturae lusus post hominum fatu plerumque mirantur, neque arte ulla emendari possunt, eos pariter jam missos facimus.

§. V.

Oppido rara est observatio, quam Realdus Columbus [c] de situ intestinorum preternaturali literarum monumentis consignavit: in Cardinali, inquietus, Campiego, quem post fata prememoratus auctor dissevit, intestina omnia ad hypochondria redacta erant, propterea cavitas inferior abdominis intestinis destituta erat, & spina detecta. Quamobrem medico licebat abdomen Cardinalis attrahenti magnae arteriae motum persentire, & una cum illa durities persentiebatur. Illa vero durities nihil aliud erat, quam vertebrarum corpora. Simile quid Bartholinus [d] in nuliere hydropica observavit, utpote cuius intestina omnia ad dextrum hypochondrium erant detruſa, ut initio abdomen intestinis caruisse apparuerit. Licet autem verisimilimum videatur, posteriori in casu intestina aquarum acreidine stimulata frusse abbreviata, earundemque mole in alterum hypochondrium protrusa, tamen modus, quo priori in casu intestina ab domine ceteroquin vacuo ad utrumque hypochondrium fuere compulsa, explicatu paulo est difficilior, præcipue cum Columbus symptoma, quibus vexatus fuit Cardinalis, siccо prætereat pede. Quantum vero suspicari licet, spasmo partim in intestinis, partim in muscularum abdominis parte inferiori saviente factum esse, opinor, ut intestina corrugata abbreviataque violenta muscularum constringione superiora versus fuerint protrusa. Neque vero minus rara est observatio, quam Henr. ab Heer [e] describit; quippe quia vulneris diaphragmati meminit, per quod intestina in thoracis cavum irreperunt, pulmonesque et cor suffocarunt. Verum enim vero cum istiusmodi casus perrari statim agri fere declamatum designent, nec iis imposterum uberior declrandis immorabitur, potius intestinorum intus susceptionem, ani procidentiam atque intestinorum prolapsum, in herniosis et vulneratis qui animadvertisit, quatuor in capitibus sigillatim contemplaturi. Cui labori ut summus archiater ex alto benedicat, ea, qua pars est, animi devotione precamur.

C A P U T

[c] De re Anat. Libr. 15. p. m. 267.

[d] Obs. Med. 25.

[e] Hist. Anat. c. 1. Hist. 2.



CAPUT PRIMUM.

DE

INTESTINI INTUS SUSCEPTIONE.

§. I.

Sane interdum accidit, ut pars intestini superior inferiorem, vel inferior superiorem subeat, vix aliter ac gladius vaginae infuritur, aut vitrum angustius capaciōri solet includi, aut uti in dīgo chirotece reduplicato animadvertere est, quam situs intestini mutationem nonnulli intus susceptionem, aut unius intestini in alterum ingressum nuncupare solent.

§. II.

Equidem huic affectui plerisque intestina tenuia & imprimitis jejunum atque ileon sunt obnoxia, tamen nec ab eodem crassa omnimodo esse immunita, Auctores fide digni testantur. Siquidem *Hildanus* [f] verba de quodam ex iliaca passione denato faciens, *aperto corpore*, inquit, *inveni intestinum cæcum contractum in intestinum ileum se se insinuasse*, *idque opplevisse*, adeo ut nibil ex superioribus intestinis ad colon permeare posset; Neque minus rara sunt, quea *Celeberrimi viri* [g] *Le Clerc* & *Mangetti* in juvēne quodam ex iliaca passione mortuo obseruavere: sed, quod notatu dignissimum, inquiunt, *ejusdem intestini* (i. e. coli) portionem, duabus prater propter a recto spitham distantem, octo uncias longam, nigerrimam, ponderosam, intestini proximam portionem, non quidem superiorem, sed inferiorem quatuor digitos subvenientem, reperimus. Atque [h] *Blasius* in juvēne prædicti affectus truculentia extincto, duplēcēm intus susceptionem uno in intestino animadvertisit: *Imo etiam, in puerō quatuordecim annorum eam notare licuit*, & quidem duplēcēm, sic ut uno loco pars intestini ilei inferior se infuruerit in superiorem, altera pars superior in inferiorem. Imo [i] *Peyerus* puellam oœtennem dissecuit, cuius tenuē intestinum tres ejusmodi susceptiones aut coarctationes e distinctis intervallis spectandas exhibuit.

§. III.

Ad istiusmodi intus susceptionis rationem distinctius paulo concipiendam opus

[f] *Obf. Chir. cent. I. obf. 61.*

[g] *Bibl. anat. p. 1. p. 128.*

[h] *Obf. Medic. 3.*

[i] *De usu glandularum intestinal. carumque variis affectionibus. c. 9.*



opus est, ut præsupponamus, intestina naturæliter fibrarum spiralium ministerio in semetipsa constringi & angustari, longitudinalium ope abbreviari, fibrasque modo superius, modo inferius motionem suam ordiri. Præterea extra dubitationis aleam est positum, portionem intestini cuiusdam insuete jam dilatari, jami constringi. Nuper admodum *Excellentiss. Dom. Praes.* epilepticum aliquot ante obitum dies pertinacissima alvi stypticitate laborantem dissecuit, in quo scybalia duritiem pene lapideam indepta in duabus coli partibus distinctis, spithamæ longitudine a se invicem distantibus; domicilium sibi formaverant ita, ut portiones intestini feces complectentes non parum dilatatae, proximæ vero tum superiores, tum inferiores tam fortiter contractæ apparuerint, ut vix pollicis crassitudinem adæquaverint. Profecto mihi temperare nequeo, quin ea, quæ Clarissimus [k] Peyerus non sine animi jucunditate in rana observavit, concise commemorem: *Etenim intestina,* inquit, *vivente amphibio lacejita in diversis locis pertinacissime mox se constringebant, contentis violenter sursum deorsumque qua data porta protrusis, atque hinc inde in cumulos quasi congestis. Inde quadam intestini portiones valde implætæ ac turgidae, alia prorsus inane& ardijissime clausæ perstiterunt, donec soluta fibrarum stricitura meatus liberior redderetur. Intestinus autem hinc inde se constringentibus, & sive chylum sive feces sursum deorsumve projicientibus, factum, ut intestini partes quedam alicubi plus debito ampliarentur; Haec ita ampliatae ac in sacci morem dilatatae intra se receperunt constrictas ejusdem intestini alias portiones vicinas, easque sinu suo absconditas aliquandiu detinuerunt, donec fibris se denio exorrigentibus intestini pars una e latibulis alterius velut e domuncula linax in propatulum pristinamque sedem rediret.*

§. I V.

Ex præmissis jam colligo, ad intus susceptionem requiri, ut portionis intestini proximam subeuntis diameter minor sit diametro intestini præmemorata portionem recipientis, quod fieri nequit, nisi portio recipienda sit fortiter contracta, vel recipiens insuete dilatata. Namque cum intestina tenuia ejusdem feré sint diametri, id quod in crassis seorsim consideratis patiter observare est, sane quamdiu tenuia æque ac crassa æquabiliter vel contrahuntur vel dilatantur, tamdiu intus susceptio locum nequaquam inventit. Jam vero ex supra dictis constat, interdum portionem intestini spiralium fibrarum ministerio violenter contrahi, quapropter sive opposita pars insuete simul sit dilatata, sive naturalem obtineat amplitudinem, contractam tamen portionem recipere potis est. Cumque porro ex superioribus innotescat, portionem intestini non raro insuete dilatari, certe in eam opposita pars sive præternaturaliter contracta sive naturalem dimensionem obtinens delabi potest. Præterea ad intus susceptionem requiritur, ut una intestini pars alteram subeat, quod probabiliter contrario utriusque partis fibrarum

[k] Part. poster. de usu glandul. intestinor. eorumque variis affectionibus c. 9.



brarum longitudinalium motui debetur: Siquidem in antecedenti thesi jam monuimus, fibras modo superius, modo inferius motum suum ordiri. Si itaque accidat, ut portionis superioris fibræ longitudinales inferiora versus, & inferioris fibræ ad superiora ducantur trahanturque, fieri omnino potest, ut pars superior inferiorem, aut inferior superiori ingrediatur. Porro intus susceptionem externa pressione haud parum augeri, veri est simillimum; uti enim diaphragmatis descensu & constrictione musculorum abdominis intestina nunquam non molliter comprimuntur, ita sœiente spasmo, aut cooperante speciali nixu, ad fecum vel liquoris obseceni excretionem necessario eadem longe intensius constringuntur, quo fieri facile potest, ut una intestini pars in alteram profundius intradatur. Tandem contenta intestinalium symbolum suum ad hunc affectum contribuunt; ponamus enim partem superiorem angustatam ingressum in inferiorem moliri, aut eam jam dum subiisse, certe feces, flatus similiaque a superioribus inferiora versus tendentia, dum per angustatam partem transire commode nequeunt, necesse est, pars angustata pressioni cedat, atque ideo de loco mota in ampliatam altius se insinuet. Idem judicium esto, si pars inferior contracta superiorem ampliorem subeat, atque contenta ab superioribus superiora versus urgeantur. Quare cum [1] Verduio facere nequeo, existimante, intus susceptionem sine mesenterii ab intestinalis solutio[n]e & ab ea pendente sanguinis effusione ne animo quidem concipi posse, atque ideo omnem pro fabula rectius haberi. Siquidem ut supra enarratae historiae contrarium assatim docent, ita in intestinali jejunii valvulis conniventibus instructi & exiliaco exempti portione, quam *Excellentiss. Du. Preses* mihi monstravit, clarissime videre est, non modo partem superiorem valde angustatam octoque pollices longam proximam subiisse, sed & mesenterium sine ulla ab intestino separatione in eamdem simul irrepsisse, uti hæc omnia in adjecta figura qua[r]ta distincte observari queunt.

§. V.

Interim talismodi intus susceptio sine magno ægrotantis incommodo fieri nequit, quippe sive pars intestinali a flatibus aut humoribus fermentescitibus immodice dilatetur, sive manipulus fibrarum ab humore acri, austero similiq[ue] stimulatus spasmodice contrahatur, sive uno eodemque tempore una pars dilatetur & proxima contrahatur, nunquam non inde cruciatus per se difficiles oriuntur, ita ut affectus hicce medios inter dolores & anxieties generetur. Tantum vero absit. ut generato hoc affectu symptomata mitescant, ut potius paulatim intendauntur, id quod imprimis iliaca passio propter malorum lernam miserere mei dicta luculenter docet. Nisi enim vel spontaneo naturæ ductu, vel remediis congruis intus susceptio emendetur, tandem halitus foetidi, aut feces, propter earum transitum per contractam intestinali partem præclusum, atque hinc intensiorem inversumque intestinali-

rum

[1] Chirurg. c. 30. de vulner. abdominal. p. m. 188.



rum & ventriculi motum, ore non sine horrore summo excernuntur, id quod non modo in thesi secunda citati Auctores, sed & [m] Sylvius, [n] Marchetti, [o] Ruyshius aliisque autopsia edocti satis superque testantur. Ut nihil jam de sphacelō dicā, qui in parte affecta nec non vicinis ac remotois partibus propter stagnantes putridosque humores atque inflammationem in prædictum morbum mutatam a sedulis naturæ scrutatoribus multoties observatus fuit, cujusque vestigia in modo commemorato intestino angustam amplectente pariter clare animadverti queunt.

§. V. I.

Ceterum adfectus hicce cognitu perarduuus est atque difficilis; quantumvis enim ii imprimis, qui alvi segnitie, cruditatibus acidis potissimum atque austeri, exquisitis intestinorum torquimib; colica flatulenta frequenter laborant vexanturque, ad hunc adfectum sint proclives, atque hinc si in pertinacissimam alvi stipticitatem, dolorem abdominis fixum, gravitate & andore summe molestum & interdum totum fere intestinorum canalem in consensu trahentem, in inquietudinem, tandemque in iliacam passionem nullo hernioso tumore comparante incident, non minimam de intus susceptione suspicionem moveant, omnia tamen haec mala modo a flatibus, modo a fecibus induratis, modo a pituita vitrea, modo a calculo, modo a contorsione intestinorum sine intus susceptione oriri, in praxi versatis ignotum esse nequit. Determinatu longe est difficilius, utrum pars intestini superior inferiorem, an vero haec illam subierit, cum haec & similia in mortuis quidem videamus & miremur, in vivis vero exacte definire nequeamus, tametsi, ut ex mox dicendis plenius constabit, ad prudentem remediorum selectum accurata ha- rum rerum notitia haud parum faciat.

§. V. I. I.

Ex quibus sponte jam innescit, præsentem adfectum non modo curatu esse perdifficilem, sed & summe periculosum ac plerumque lethiferum. Cum enim eum & qualitatem ejus adeo difficulter cognoscamus, profecto cura ejus incerta admodum erit atque ambigua, imo proh dolor! facile accidere potest, ut in perplexo hoc rerum statu remediis præscribendis plus damni quam emolumenti ægrotantibus adferamus. Et quemadmodum tunc denum, quando illa passio præ foribus pulsat, aut in eam actu elapsus est æger, intus susceptionem certius paulo suspicamur; ita summo in vita periculo versari eo tempore ægrum, cordati omnes facile mecum fatentur. Etenim perseverante obstructione non modo quævis symptomata exacerbantur, sed &

Tom.

III.

tetris

[m] Prax. med. l. 1. c. 15. §. 18.

[n] Biblioth. medic. pr. t. 2. l. 8. de Illo.

[o] Observ. anat. Chirurg.



tectis fecum putridarum particulis humores imbuuntur, inflammationique atque gangrenæ non inepta datur occasio. Quare uti ileus ab inflammatione qui ortur, pro desperato communiter habetur; ita nihil spei de recuperanda sanitate ægrotanti adfulget, si intus suscep^{to} gangrenam sphacelumque habeat comitem. Neque vero facile ratio patet, quomodo malo huic pharmaceuticis remediis mederi queamus, si pars intestini superior inferiorem intraverit, uti occasione methodi medendi distinctius paulo declarabitur. Contra quando inferior intestini portio superiorem subiit, atque pars affecta inflammatione atque gangrena nondum est correpta, major convalescentiae spes imminent, tametsi nec tum certi quid polliceri queamus, cum autopsia teste remedia, huic affectui alias appropriata, interdum in cassum adhibeantur.

§. VIII.

Interim eo opera est navanda, ut reduplicata intestina, quantocvys fieri potest, situi naturali restituantur. Eum in finem remedia ex diætetico, pharmaceutico atque chirurgico depromenda veniunt. Prolixum nimis & a præsenti scopo alienum videtur, quaslibet res non naturales sigillatim examini subjicere, hinc in genere monuisse sufficiat, quævis cane pejus & angue vitanda esse, que spasmum in intestinis levientem aut inflammationem augere valent, quorūsum ira aliaque graviora animi pathemata, aër frigidus, cibus potusque flatulentus gelidusque ac nimis spirituosis pertinet; contra quævis temperata ægrotanti apprime conducunt, præcipue si alvus non nimis sit constipata, atque flatus minimum reddat. Utrum vero alimenta solida, an vero fluida huic affectui magis convenient, non immerito queritur? Evidem ejusmodi ægri ordinarie solida aversantur & quævis ingestā vomitu brevi rejiciunt, atque ideo quæstio hæcce inutilis prorsus & superflua videatur, tamen si contra morbi genium æger eadem appetat, vel remedii loco a medico præscribantur, disquirere utique convenit, quid boni ab iis sperandum, quidve mali metuendum: sane intus suscep^{to} postulare utique videatur remedia, quorum pondere & pressione receptum intestinum urgeri, elongari atque hinc situi naturali restitu queat, jam vero alimenta solida fecibus majorem consentiam atque pondus conciliant, ideoque non prorsus cum ratione pugnat, earum appulsi atque pressione retrocessionem intestini recepti promoveri posse. Sed enim vero cum feces glutinosis particulis constantes sint minus mobiles, neque insigni' elatistica aut renitendi vi polleant nimisque induratae propter irregularē figuram ægerim moveantur, sane alimenta solida malo huic emendando minus convenire videntur, id quod autopsia simul confirmat, cum ordinarie hic affectus cum iliaca passione &c complicatus. Imo vero iisdem mox commemorandorum remediorum activitatem infringi & retardari, veritati quam maxime est consentaneum. Quare ægrotanti magis est salutare, si solis jusculis aliisque fluidis facultate lubricandi temperandique humorum acredinem pollutibus vescatur.

§. IX.



§. IX.

Quod ad pharmaceutica remedia attinet, eorum alia spasmus & inflammationi, alia ipsi affectui convenire debent. Illi intentioni blandiora antispasmodica terrea cum castoreatis, succinatis, cinnabarinis, papaverinis prudenter mixta apprime faciunt satis, non neglectis diluentibus & clysmatis emollientibus. Nociva vero sunt cathartica, spirituosa, aromatica similiave, utpote quibus feces quidem flatusque moventur, sed per consuetas vias haud promoventur, ut hinc non mirum, si iis quævis mala exasperentur. Verum quia hoc remediorum apparatu palliative saltem ægro succurrimus, ad ipsum morbum curandum opus est, ut tandem ad globulos ex plumbo vel auro confectos optimeque politos, vel ad mercurium vivum eumque depuratum progrediamur. De globulorum in iliaca passione efficacia [p] *Helmontius* sequentia habet: *Neminem, inquit, volvulo perire sibi, potando nimirum dedi aliquot globulos plumbeos musquatarum, quo enim, pergit, plures hauriuntur & majores, eo tutior & celerior sequitur sanatio, modo ager siet, ambulet, vel velut ducatur erecto ab domine.* Sic pariter. [q] *Henricus ab Heer* [r] *Zacut. Lusitanus* aliique globulorum minorum majorumque usum in præmemorato affectu confirmare conantur. Atque [s] *Pareo* animadverte *Marianus Sanctus Barolitanus* multos novit, qui in Ileo desperato imminente morte liberati sunt, haustis argenti vivi cum aqua sola libris tribus. Imo vero mercurium globulis plumbeis esse efficaciorem, ex [t] *Fontano* patet, quippe qui iliaceæ passionis tandem mercurii beneficio curatae meminit, postquam tres bombardæ globuli gratis deglutiti fuissent.

§. X.

Quoniam vero utrumque hoc remedium in ileo, vel a fecibus aliqua materia intestini portionem obstruente, vel ab intestinorum contorsione, vel ab eorum intus susceptione pendente, promiscue ab autoribus commendatur, atque in præsenti de intus susceptione saltem est sermo, non immrito queritur, an & huic affectui utrumque remedium indiscriminatim conveniat? Certe utriusque usum inutilem esse & nocivum, quando pars intestini superior in inferiori abscondita delitescit, sana suadet ratio. Cum enim diameter intestini inferioris multo sit amplior diametro intestini superioris, oreque excepta a superioribus inferiora versus urgeantur, profecto mercurius vivus vel globuli per partem intestini angustam vel facile, vel difficulter, vel plane non transibunt. Si facilis eorum est transitus, intus susceptio-

[p] L. de flat. 31. p. m. 375.

[q] Observ. 2.

[r] L. 2. pr admirab. obsf. 27.

[s] Libr. 20. c. 38.

[t] Consil. & respons. p. 85.



in eodem permanebit statu. Namque prædicta concreta dum ex angusto in angustum spatum tendunt, atque inferior intestini pars amplitudine superiorem multum superans nullam remoram motui & progressui utriusque concreti injicit, quo modo reduplicatum intestinum distrahi & evolvi queat, ratio patet nulla. Quod si vero transitus sit minus expeditus, difficilis aut plane nullus, non potest non intus susceptionis cum reliquis malis augeri. Quippe pars in inferiorem inserta, dum pondere horum concretorum premitur atque urgetur, eo ipso quoque altius in imam descendet. Neque vero hujus generis remedia convenientia, quando intus susceptionis inflammatione est stipata; uti namque pars inflammata & dolorifica distractioni & evolutioni minus est apta; ita inflammatio pondere & frigiditate horum concretorum irritata facile augebitur, auctaque in gangrenam mutabitur. Quare eo imprimis tempore remedia haec locum inveniunt, quando inferior intestini pars, quod paulo rarius accidere solet, superiorem est ingressa. Etenim mercurius pernicissimo motui concipiendo peridoneus, vel globuli propter rotundam figuram identidem valde mobiles per ampliatam intestini superioris partem in inferiorem receptam & coarctatam dum impingunt, fieri omnino potest, ut portio inferior recepta nisi & pressioni istorum concretorum cedat, cedens descendant, descendens tandem situm recuperet naturalem. Ut autem globuli per gyrosum intestinorum canalem velocius volvantur, atque mercurius non adeo facile poros vasorum subeat, non inconvenienter usus olei amygdalarum dulcium similisque præmititur. Præterea ad utriusque concreti transitum exitumque juvandum motio est ægrotanti suadenda, hinc nonnulli eidem, curru ut vehatur, ambulet, erectum corporis situm servet, perbene imperant, quo, si fortassis systalticus intestinorum motus ad propellenda concreta haud sufficiat, eadem totius corporis motione in citatiorem motum cieantur. In quantitate autem mercurii præscribendi definienda parum concordes sunt Practici atque unanimes. Sunt enim nonnulli, qui saltem unam alteramque unciam adprobant, libram vero unam alteramque rejiciunt. Verum enimvero modo mercurius assumptus per anum brevi egeratur, parum interesse videtur, sive minorem sive majorem mercurii quantitatatem æger assumat, tametsi in præsenti casu paulo major mercurii dosis necessaria videatur. Siquidem mercurium ad libram unam & ultra vel ad innoxias ejus vires explorandas cani, vel joci causa aut etiam remedii loco homini datum fuisse, historiæ variæ satis superque docent. Itaque crediderim ego, potiora mala non tam a mercurii quantitate, quam potius ab ejus mora solito diuturniore ejusdemque exitu intercepto metuenda esse.

§. X I.

Ex hisce quidem adparet, cui potissimum intus susceptionis speciei mercurius vel globuli convenientia, tamen cum alibi jam tum monitum fuerit, intus susceptionem & imprimis qualitatem ejus cognitu esse perdifficilem aut plane



plane impossibilem, utriusque remedii usum incertum satis esse atque ambiguum, non citra santicam causam afferuimus. Ino vero utraque remedia dis- trahendis intestinis intus suscepitis interdum haud sufficere [*u*] *Panarolus* atque [*v*] *Chesneau* luculentiter testantur; quippe qui & mercurium & glo- bulos circa partem intro susceptam in iis, qui ideo sunt defuncti, observa- vere.

§ X I L

Quod tandem ad Chirurgica attinet remedia, ad ea V. S. follis & sectio pertinet. De venæ sectione non est, cur in præsenti agam, quippe quæ in- flammationis vel præveniendæ vel mitigandæ gratia adhibita non ipsi adfec- tui medetur. Quod autem ad follem spectat, sane nonnulli eodem anno appli- cato intestina non solum ad intus susceptionem emendandam, sed & ad corrugata intestina explicanda, aut ad stercore indurata & impacta proli- cienda inflant. Impræsentiarum nobis saltem de usu follis in intus suscep- tione est sermo. Itaque jam præsuppono, eum plane non convenire, si intestina tenuia id vitii contraxerint; quis enim in pertinaci alvi stypticitate uni- versum canalem intestinorum inflabit, certe facilius aër in eum intrudi, quam denuo ex eo elici potest, qui tamen in intestinis oberrans & incarce- ratus mille malorum focundus esse solet autor, ut nihil jam de subita atque immodica intestinorum inflatione dicam, qua facile fieri potest, ut ea ultra sphæram naturalem expansa, tonoque hinc suo privata, egeltoni fecum red- dantur inepta. Præterea merito dubitamus, an aër per prætensam *Baudini* valvulam in tenuia intestina ascendet; proinde hujus remedii usus partim supervacaneus, partim nocivus erit. Neque vero multum levaminis a follis usu esse sperandum, existimo, si intestini crassi portio inferior superiorum subierit, potius metuendum fore opinor, ne aër vi intrusus & ægre per par- tem coarctatam ascendas, eam profundius in superiorum adigat. Quare eo. saltem tempore locum invenire videtur, quando portio intestini crassi super- ior inferiore subintravit; hac enim ratione fieri potest, ut illa aëri supe- riora versus adacto cedat, cedendoque paulatim pristinum situm recuperet. Quis autem Oedipus vel intestinum adfectum, vel qualitatem intro suscep- tions tuto definiet, quo tuto id remedii genus commendare queat. Omni- um itaque certissimum remedium fortassis sectio erit. *Annon*, inquit [*x*] *Barbette*, præstaret dissectione musculorum abdominis & peritonei digitum sus- ceptum intestinum extrahere, quam certæ morti ægrum committere. Profecto e- go, quod moneam, non habeo, modo quis de intus susceptione & parte intestini adfecta sit certus, ne frustra generosa hec operatio, quam ægri æ- gerrime admittunt, non sine summo medentis dedecore instituatur. Eam

B 3

tamen

[*u*] Pentec. obs. ultim.[*v*] Obs. med. p. 265.[*x*] Anat. practic. l. 4. c. 1.

tamen quondam non sine felici successu institutam *Bonetus* [y] testatur *Illustriſſima Baronissa*, inquit, a Lanti prope *Castilionem* ad *Sequauam* in *Burgundia* ducatu, iliaco affectu laborans pro deplorata habebatur: Offert se juvenis *Chirurgus*, diut castra sequutus, qui salutem certam pollicetur, modo nob. agra ſectioni in abdomen facienda se submitat. Conſeffam aggreditur *Chirurgus*, multisque eductis & evolutis intestinis, antequam convolutio & conduplicatio appareret, eam nactus explicat & nodos diſſolvit, poſtmodum ſedi reſtituit: Hinc *gastroraphia* facta, vulnus felicifimo ſuccedavit, integræque valetudini nobilem reſtituit.

C A P U T I I.

De ani procidentia.

§. I.

Ab initio ſuſceptione ad ani procidentiam progredimur. Sane cum anus modo podicem, modo imam intestini recti portionem, modo totum intestinum rectum designet, atque fieri omnino poſſit & soleat, ut jam intestinum totum, jam pars faltem ejus inferior invertatur, inverſa per portam posteriorem elabatur, elapſa tumorem magnitudine varium formet, quo ſenſu in praefenti anus ſumatur, & quem prolapsus ejus denotet affec- tum, ex præmissis ſponte innoteſcere arbitror.

§. II.

Memorabile eſt exemplum, cuius *Muralitus* [z] meminit, quippe qui aliquando in uxore fabri cujusdam ferrarii tantam ani procidentiam a partu vidit, que ulnam longitudine æquaret. Utī vero prolapsus hicce inter raroſ & iſolitos caſus jure refertur, ita longe frequentius elapſa intestini portio modo pugni, modo ovi anſerini magnitudinem æquat, aut mino-ris adhuc dimensionis obſervatur. Quemadmodum enim malum hoc jam recens eſt, jam inveteratum, ita fieri ſoleat, ut idem paulatim majora incremen-ta capiat. Et licet imprimis egestionis fecum alvinarum tempore re- poſitus anus elati ſoleat, tamen qui inveterato malo laborant, dum curru vel equo vehuntur, aut alio paulo vehementiori motu corpus exagitant, aut faltem ambulant, non raro prolapsum ejus non ſine incommodo iſi-gni patiuntur. Longe majora incommoda, nec minora pericula ex diſ- ciliōri ani repositione imminent. Evidēt ipſimet ægri molliori digitorum con-

[y] Anat. Pr. L. 3. S. 14. Obs. 20. p. 912.
[z] Ephem. N. C. D. 2. A. 1. Obs. 113.



contrectatione anum ut ut magnitudine insignem reponere norunt, accedit tamen interdum, ut pars protuberans inflammatione correpta tumeat ita, ut nullo prorsus pacto restituī possit, hinc, nisi inflammatio tempestive dissolvatur, facile evenit, ut in gangrēnam mutata sumnum vitæ periculum ægro adferat.

§. III.

In ani procidentiæ formalitate definienda practici parum inter se conveniunt; etenim nonnulli, villosam saltem intestini tunicam a cæteris separatam & incrassatam tumorem propendente formare, veluti in vaginæ uteri prolapsu frequenter animadvertere est, opinantur, alii totum intestinum inverti & expelli arbitrantur, culpam potissimum in atoniam vel paralysin muscularum levatorum rejicientes. Et profecto anatomicae sectiones hoc in passu parum lucis nobis accidunt; an enim unquam ad indagandam hujus mali indolem ani prolapsu laborantem quis post fata dissecuit, me omnino latet. Priori interim sententiae haud parum roboris observatio a [a]. Cœpero litterarum monumentis consignata addit; quippe qui viri cujusdam meminit, qui diu multumque hæmorrhoidibus & ani prolapsu vexatus, propter insignem, cui indulxit, intemperantiam, inflammationi subitæ & mox gangrēnæ sphaceloque elapsi ani dedit occasionem. Idem autem ille æger post corruptarum partium extirpationem paulatim non modo pristinam recuperavit valetudinem, verum ab hæmorrhoidibus etiam anique prolapsu immunis prorsus vixit. Nolim tamen propterea præfracte negare, interdum intestinum quoad singulas membranas inversum per portam posteriorem expelli. Evidem firmior cohaesio, quæ eidem in sexu sequiori cum vagina uteri, & in sexu potiori cum vesicæ collo & vicinis partibus intercedit, contrarium suadere videtur, præcipue cum avulsio intestini a prædictis partibus sine infinitarum fibrillarum ruptura vix animo concipi possit, tamein in paulatina ani prolapsus generatione fieri potest, ut fibræ pedentem, non secus ac in aliis membranis mirum in modum præternaturaliter expansis observamus, sine ruptura elongentur. Imo vero quid impedit, quo minus intestini portio superior, neque cum vesica, neque cum vagina cohærens inferiorem ingrediatur, demumque ex ano elabatur. Siquidem idem non tumidum nec inflatum, sed cæteroquin naturaliter constitutum tactu si exploretur, in eo interdum eam consistentiam ac firmitudinem animadvertisimus, quæ nudæ tunicae villosæ vix ac ne vix quidem attribui potest. Et nisi fallor eo tempore ani prolapsus a mutuo intestini ingressu saltem loci intuitu differt. Infima namque intestini pars extra podicis fines parum aut plane non protuberat, sed potius portio intestini situ superior infimam ingressâ & inversa demum prolabitur. Quare ad hoc malum levatores quidem relaxati

con-

[a] Anatomy of humane bodies Tab. 39. F. 7.



aliquid contribuere possunt, pro discrepante tamen intestini portione inferiore subeunte, sine præmemoratorum muscularum atonia vel paralysi idem malum oriri posse, rationi per quam est consentaneum. Imo vero fortassis sphincteris laxitas simul accusanda venit, utpote qui naturali vigore orbatus, neque intestino ingressum molienti, neque fecibus adpellentibus justis viribus renititur, atque ideo istiusmodi prolapsus promovet.

§. I V.

Nolo jam prolixius justo in causas occasioales inquirere, aut item illam dirimere, an pueri præ adultis propter pituitæ flatuamque abundantiam nec non partium teneritudinem frequentius in hunc delabantur affectum. Id vero experientia satis superque confirmat, nec adultos, nec senes ab hoc malo esse immunes. Imprimis vero conatus ille, quem in tensione, laboriosa fecum induratarum egestione, partu difficulti, lithotomia, clamore intenso &c. animadvertisimus, huic affectui non ineptum somitem præbet. Sic enim non raro evenire solet, ut universa interaneorum, diaphragmate muscularisque abdominis fortiter compressorum, moles intestino recto eam inferat vim, ut tandem de loco motum extra podicem exalbatur. Id quod in prædispositis facilius accidit, qui nempe impuris sucis scatent, quorum tunicae intestinii recti mollioris sunt texturæ & laxioris cohaesionis, aut quando musculi ani minus robusti renitendæ partium pressioni haud pares sunt atque idonei. Haec quoque est ratio, cur ani prolapsus diarrhoeæ & dysenterie aut etiam apoplexie, remanente scilicet sphincteris levatorumque paralyse, frequens sit symptoma, ubi certe ad eum producendum non semper violenta abdominalis compressione est opus, sed levioris quoque momenti causæ emollitum & relaxatum intestinum a fede sua naturali deturbare valent.

§. V.

Interim ani prolapsus, a quacumque detum causa obortus, & in se specie status cognitu est facillimus; quippe qui oculis usurpari & manibus palpari facileque a tuberculis majoribus minoribusque, ab haemorrhoidibus vel lue venerea oriundis, & interdum sacculi in modum ano appensis, distingui, nec non naturalis ceteroquin ejus dispositio, vel inflammatio, aut gangraena sphacelusque cognosci dijudicarique potest. Sed utrum villosa faltem tunica, an vero intestinum quoad omnes membranas inversum propendeat, ex varia protuberantium partium firmitate cognoscitur. Si namque pars propendens mollis admodum est atque tenuis, villosam faltem tunicam ano egressam esse veri videtur simillimum, contra vero si intestinum elapsum densum est crassumque, ac non mediocri firmitate poliens, totum intestinum esse inversum, vero est quam maxime consentaneum,



neum. Neque vero cause occasioales adeo sunt abstrusa, modo quis ad subitam, vel paulatinam mali generationem respiciat. Id enim nemini obscurum fore arbitror, occasione partus difficultis, lithotomie id mali interdum extemplo, alio vero tempore paulatim demum generari. Proinde an idem a tenesmo idiopathicō vel sympatheticō, a fecibus induratis, ab hæmorrhoidib⁹, a paralysi, a diarrhoea aut aliorum humorum colluvie natales suos ducat, partim ex ægi relatione, partim ex constitutione ejus morbisque, quibus simul laborat, partim ex aliis circumstantiis comode satis cognoscitur.

§. VI.

Cæterum affectus hicce molestiae & doloris est plenissimus; utrū namque dejectionis tempore quicquid repositum est secum alvinarum pressione moleste admodum & dolorifice adscicitur & eo usque urgetur, usque dum de novo elabatur; ita nec minus tædiosa sordidaque absoluto factido illo opere prolapsarum partium est repositio. Atque hinc quoque est, cur idem ille affectus curatu sit difficultis, facileque in chronicum ad vitæ usque terminum durantem degeneret. Nisi enim principiis obstes, sero plerumque medicina paratur. Siquidem si id mali a tunicae villosæ separatiōne deperdat, coalitionē ejus cum ceteris tunicis quies quidem insigniter juvat, quam tamen quotidiana egestio haud parum turbat; aut si culpa magis in ani musculos relaxatos rejicienda veniat, sane iidem excretionis tempore ultra sphæram debitam extensi, pristinum vigorem non nisi ægerrime recuperant. Interim veri est simillimum, hoc malum facilius curari, si atoniam muscularum eidem fomitem præbeat, quam si a totius intestini vel a tunicae villosæ separatione ortum trahat. At vero muscularis paralysi consummata affectis aut malo inveterato admodum existente saepe optimaquevis in cassum adhibentur. Neque vero morbis hicce omni periculo caret; etenim facile accidere potest, ut partes protuberantes inflammatio ne, corruptione sphaceloque corripiantur, quo tempore certe præsentatum vitaे periculum ægro imminet, nisi inflammationis tempestiva discussione, aut partis corruptæ extirpatione is ex mediis veluti orci fauicibus eripiatur.

§. VII.

Ex præmissis perspicue adparet, aliam hujis mali curam esse veram, aliam palliativam, illius intuitu artifex eo operam dirigit, ut non modo elapsum animum reponat, sed & in situ naturali sine novi prolapsus metu conservet, hujus vero intuitu mali incrementum cohibere egestionemque minus molestam efficere allaborat. Utrique scopo ut faciamus satis, remediis chirurgicis, pharmaceuticis atque diæticis indigemus. Quod ad chirurgica attinet, ad ea varia spectant. Huc enim referri meretur congrua

Tom. III.

C. 17. ani



ani elapsi repositio. Evidem hæc interdum administratū est facillima , vel ab ægro , vel ab alio artis chirurgicæ ignaro , vel a chirurgo perficienda, alio tamen tempore propter protuberantium partium molem , nec non tumorem inflammatorum difficilis satis atque ardua , ita ut non raro necesse sit , inflammationem ante discutiamus , quam repositionem aggrediamur. Huic peragendæ digiti nudi vel linteo molliori obducti sufficiunt , utpote quorum molliori pressione intestinum paulatim reponitur , ad cujus repositionem facilitandam non incongrue pars intestini ultimo elapsa & corpori proxima prehenditur , atque hoc ordine servato una post alteram intruditur. Præterea laboriosæ imprimis repositioni haud parum conductit , si æger eum corporis situm servet , ut caput declive , acclives autem clunes sint. Cæterum repositio plane est nociva , atque hinc intermittenda , si nempe inflammatio intestini elapsi in gangrænam sphacelumque sit mutata.

§. V I I L

Nonnulli cum *Barbette* [b] suadent , ut nates ægri manu explicata sexies pluriesve mascule verberentur , non aliud fortassis in finem , quam ut languidi musculi ani levatores officii sui immemores vividiori spirituum influxu animati potentiori robore partem intestini elapsam retrahant , sphaencterque arctius postea contrahatur. Eamdem ob rationem alii ferro ignito utuntur , quod ex improviso eminus saltē anno applicatum mira præstare dicitur. Sed utraque remedia relaxatis potissimum ani musculis , non æque tunicae villosæ separatæ atque elapsæ convenire , quilibet vel me tante faciliter perspicit negotio.

§. I X.

Præterea chirurgia varia remedia ad anum repositum firmandum suadet ; siquidem nonnulli cucurbitulis fiscis natibus applicandis utuntur , quæ eo tempore aliquid commodi adferre queunt , quando princeps mali causa in languidis ani musculis hæret. Alii turundam confortantibus remediis imbutam partim ad tunicam villosam explicandam & cum cæteris uniendam , partim ad musculos corroborandos ano inferunt. Alii in turundæ locum annulum ferreum substituunt , quem *Rhodium* describit , & *Paulo Servite* Veneto nonnulli acceptum referunt. Annulum vero aluta utrinque continet , quæ perineum & clunes versus fasciis quatuor capitibus ejus adfutis lineo cingulo innexis firmatur. Etenim hoc modo fieri folet , ut egestionis tempore ani prolapsus impediatur , atque si non plenarie curetur , eidem tamen non mediocre solamen adferatur.

§. X.

[b] Chirurg. cap. 9. p. 53



§. X.

Insuper fascia anum comprimens, & crura arctius paulo constringens, haud contemnendi est usus, præcipue si æger ad laxatas fibras suaviter demulcendas & ad luxuriantes humiditates dissipandas afferi querno probe lævigato, calefacto & mastiche illito separatis temporibus supersedeat, atque ab omni corporis motu imprimis violento abstineat. Dici enim nequit, quam insigniter integra cura facilitetur, si æger per aliquot temporis spatium quævis studiosissime vitet, quæ dislocationi ani formitem præbere queunt.

§. XI.

Neque tandem reticenda venit venæ sectio. Quantumvis enim ea huic affectui directe haud conveniat, tamen si in parte affecta inflammatio vigeat, aut immodicus & diuturnus hæmorrhoidum fluxus intestini membranas nimis laxet, aut cœcæ crebriorem, intensiorem & inanem cacandi conatum excitando ani prolapsum minitentur, aut cum eo sint compli-
cate, utique vena fecari potest, &, quidem modo in brachio pro revul-
sionis & derivationis scopo, modo ipsa vena hæmorrhoidalis tumida ad sanguinem immediate evacuandum vel phlebotomo, vel hirudine aperienda.

§. XII.

Quod ad pharmaceutica remedia cum interna, tum externa attinet, ad illa partim evacyantia, partim alterantia pertinent. Evidem emetica huic male minus sunt appropriata, sed magis nociva, præcipue cum vio-
lenta abdominis constrictione incremento prolapsus non inepta detur occa-
sio, tamen si quis ad discutiendas hæmorrhoides, quæ non raro ani pro-
lapsum comitem habent, atque ideo ad præveniendum hoc malum vomi-
torio, quod abs nonnullis ad hæmorrhoides discutiendas tantopere com-
mendatur, uti velit, fortassis a recto tramite non adeo deflectet.

§. XIII.

Neque vero cathartica & imprimis, quæ in ano ardorem excitant, &
stimuli sui vestigium relinquunt, adprobanda veniunt, quorsum aloëtica,
resinosa, colocynthiaca aliaque potentiora pertinent, uti namque hæc &
similia interdum prolapsum occasionem dant, ita præsenti hoc affectu usus
eorum non potest non infidus esse atque nocivus. Imo vero nec mitioris
naturæ laxantia, rhabarbarina nempe, sennata similiaque adeo sunt tuta,
cum nemini ignotum fore existimet, & hujus generis remedia non raro
tormina & ardorem in ano excitare. Atque hæc quoque est ratio, cur

C. 2

ther-



thermarum acidularumque usum in istiusmodi affectu parvi faciamus. Licet enim eadem feces diluendo minus laboriosam efficiant egestionem, tamen nec raro accidere solet, ut acribus cruditatum particulis imbutæ non mediocrem ardorem annoferant, ut nihil iam de catharticis in fine ejusmodi curæ ad residuas aquas evâcuandas præscribendis dicam, utpote quorum usum jam supra rejecimus. Plura hac de re in *Excellentissimi Presidis dissertatione [e]* videri possunt, ad quam brevitatis ergo benevolum lectorem jam remitto. Et ut paucis me expediam, sane uti quotidiana & maxime naturalis egestio aniæ e sede naturali deturbando efficit, ut cura sit paulo difficultior, ita quo crebriores sunt dejectiones, eo frequentius anus situm mutat, & opus naturæ turbatur. Quare quibusvis laxantibus, nullo imprimis indicante præsentî, facile supersedere possumus. At vero cum laboriosa secum induratarum excretione huic affectui admodum sit nociva, atque ea neque decocto malvæ, lacte, fœcibus, prunis, aut clymate ex emollientibus parato emendari possit, necessitas tandem imperat, ut ad lenioris naturæ laxans transitum faciamus.

S. X I V.

Præterea ad evâquantia diaphoretica æque ad diuretica spectant, quibus fecundis & feligendis jam haud immorabor. Etenim præsentis medici officium postulat, ut probe expendat, an scorbutus, cachexia, malum hypochondriacum, diarrhoea, dysenteria, hæmorrhoides, ulcera ani a lue venerea aut alio morbo oriunda, calculus alijsve istiusmodi affectus vel prolapsum somitem præbeat, aut cum eo sit complicatus; siquidem ad ejusmodi circumstantiarum ductum non modo appropriatis diaphoreticis vel diureticis, sed & alterantibus primarum viarum cruditatibus simul accommodandis uti necesse habemus. Quare missis hisce ea saltæ jam comprobanda veniunt, quæ tunicae villosæ cum cæteris utiliæ, aut atomæ musculorum ani directe magis conducere videntur. Priori intentioni traumatica, nempe aristoloch. rotund. millefol. agrimon. hyper. similiæ & ex his paratae essentiae, posteriori antiparalytica, scilicet herbe cephalica, sale volatili oleoso scatentes, & ex iis paratae essentiae, spiritus & olea destillata apprime convenient. Hujus generis remedia pro iisdem scopis externe quoque adhibenda veniunt, utpote ex quibus sacculi siccii, vel essentia traumatica, aut spiritu antiparalytico imbuti & anno imponendi, modo ex iisdem, vino vel aquæ ferraria incocatis, fotsus paratur, cui non incongrue flor. rosar. rubr. balauftior. rad. tormentill. bistort. similiaque adstringentia adduntur, modo ex iisdem herbis balneum præparatur; aut si prædicta remedia atque suffitus ex mastich, thure, succino parati haud sufficiant, tandem externus thermarum usus suadendus venit; quippe hisce non mediocrem disoutiendi roborandique vim competere, nemo omnino iuscit.

[e] De thermarum carolinarum usu in præcipuis ventriculi & intestinalium morbis.



nescit. Cæterum externus remediorum apparatus nonnihil est immutandus, si nempe æger præter ani prolapsum hæmorrhoidibus cæcis, ulcere fistuloso, ardore ani, vel tenesmo labore, id quod in Præxi versatis ignotum esse nequit.

I I I §. X V . A 3

Imprimis vero æger perfectam curani anhelans, exactam diætam præcipue ratione aëris, cibi, potus, motus & egestionis servare tenetur. Quare uti calor adfectui huic apprime conducit; ita frigidus vitandus, & potius temperatus calidusque eligendus. Neque vero parum interest, ut æger ab alimentis acribus, flatulentis, austerioris, fumo induratis aliisque dyspeptis fecesque solito duriores reddentibus abstineat. Quemadmodum enim alvinarum fecum excretio & imprimis laboriosa medelam hujus mali haud parum turbat; ita ad idem plenarie curandum æger sibi optime consulet, si per aliquot dies vel solis jusculis, ovis forbilibus, similibusque liquidis alimentis & quidem modice vescatur. Sic namque evenire solet, ut album pigram sine incommodo ferat, fecesque liquidas citra conatum & sine novo ani prolapso egerere valeat. Minimum ea sunt eligenda, quæ facile digeri, quæque fecibus debitam lubricitatem conciliare queunt. Præterea neque potus iusto largior, neque cerevisia fecibus scatens, accens, aut flatibus generandis apta convenit; etenim crebriores dejectiones & tormina imi ventris malum adaugere ex alibi dictis jam constat; itaque ad prævenienda hæc mala cerevisia probe defecata & scybalia sufficier humectans congruit. Neque vero modicus vini generosi aut etiam rubri leniori adstringendi virtute pollutis usus, præcipue si æger ad alvi stypticitatem haud sit proclivis, est improbandus. Insuper necesse est, motus quoque & quietis ratio habeatur. Jam enim de sternutatione, vomitu, tuffi, ut pote huic adfectui admodum infestis, nil quicquam dicam, sed saltem motum localem, commemorabo. Sane uti ad malum plenarie curandum abstinentia ab alimentis solidis haud parum facit; ita existimaverim ego; curam simul insigniter promoveri, si æger eodem tempore ab omni motu abstineat, quieti indulgeat, & in lecto per aliquot dies clunibus nonnihil elevatis molliter recumbat. Ex quibus sponte innotescit, equitationem, saltationem aliosve istiusmodi corporis violentos motus studiose esse vitandos, & moderatos saltem in malo inveterato adprobando. Denique nec alvinarum fecum egestionem tacitus præterire possum; siquidem ex alibi dictis jam luculenter patet, quævis canè pejus & angue esse vitanda, quæ fecum indurationi & difficulti egestioni occasionem dant, præterea nec illud montium flocci pendendum, quo æger jubetur, ut egestionis tempore ab omni conatu, quantum quidem in viribus ejus repositum est, abstineat, atque feces paulatim & quidem non tam curvo quam erecto corporis situ

C. 3. elabi



elabi sinat , aut ani prolapsum digitis , aut alio convenienti instrumento
impeditat.

C A P U T I I I

De Herniis.

§. I.

EQuidem plerumque hernia in genere tumorem in peripheria abdominis conspicuum atque ab intestinis , omento , flatu , aqua carneque formatum designat , indeque modo enterocele seu hernia intestinalis , modo epiptocelle seu omental is , modo pneumatocelle seu flatulenta , jam hydrocele seu aquosa , jam sartocele seu carnosa audit , impresestiarum tamen non nisi enterocelen non nihil contemplabimur . Siquidem non raro accidere solet , ut intestina propter laxatum ruptumque peritonaeum situm naturalem mutando elabantur , elapsa integumenta abdominalis , testiculorum aut pudendorum muliebrium expandant , eumque tumorem gignant , quem enterocelen nuncupare solemus .

§. I I .

E quidem plerumque hernia istiusmodi in umbilico , regione inguinali atque in scroto oboritur , quatenus intestina nunc uno falso in latere , nunc in utroque vel in inguina , vel scroti cavitates illabuntur , atque ea propter modo omphalocele f. hernia umbilicalis , modo bubonocele seu inguinalis , aut incompleta , modo oschocele f. scrotalis , aut completa , dicitur , tamen nec reliquas abdominis partes , pudendaque mulierum ab hoc affectu immunia esse , experientia satis superque docet . Sane quondam Excell. Præses [d] in femina honesta & obesa tres distinctos herniosos tumores magnitudine satis insignes ex anteriori & elatiōri abdominalis parte protuberantes , alio vero tempore simplicem ex sinistro umbilicalis regionis latere prominentem observavit , quæ omnes simpliciter ventrales audiunt , tametsi herniam pudendorum muliebrium ad completam recte referamus .

§. I I I .

Quemadmodum hernia ratione loci insigniter differt , ita magnitudo quoque ejus varia admodum est . Memoratu dignam observationem Cl. Preses [e] describit ; quippe qui viri cujusdam tam stupendæ magnitudinis hernia

[d] Dissertat. f. c. §. 21.

[e] Programm. Anno 1720. occasione Anatom. publ. edit.



nia scrotali laborantis meminit, ut scrotum ultra genua protensum crassitie abdomen hominis adulti facile æquaret, membro tam alte retracto absconditoque, ut ægre vestigium ejus in oculos incideret, relicto saltēm præputio corrugato, ac veluti alterum umbilicum in monstroso hoc scroto efformante. Quantumvis vero hernia in principio tumorem effatu vix dignum formet, tamen nisi fasciis coercentur, paulatim majora incrementa capit, tandemque stupendam prorsus magnitudinem indipiscitur.

§. I V.

Insuper hernia ratione repositionis haud parum differt. Siquidem interdum via, per quam intestina sunt elapsa, adeo patet, ut vel solo corporis situ convenienti eadem relabantur, aut facile ab ægro reponi queant; alio tempore repositio administratu longe est difficilior, aut plane impossibilis, si nempe elapsa intestina vicinis partibus sunt adnata, vel flatibus & scybalis expansa, vel inflammatione similique tumore obfessa.

§. V.

Quapropter nec iisdem symptomatis stipatam observamus herniam. Etenim æger, subligatura ad coercendam eamdem qui utitur, præter incommoda ab instrumento pendentia nil quicquam mali sentit. Et quamdiu in intestina actu prolapsa chylus cum fecibus influit, & ex iisdem libere refluit, tamdiu præter molestam tumoris gestationem parum incommodi percipit æger. At vero si intestina protuberantia propter fecum flatuumque congestionem aliamque ob causam inflammatorio dolore afficiuntur, quam herniæ speciem nonnulli recentiorum incarcerated nuncupant, per quam atrocia funesta mala inde emergunt. Præterquam enim, quod in parte affecta dolor mirum in modum fœvit, alvus pertinacissime obstruitur, borborygmi & rugitus non sine spasmodico cruciatu in abdomine obrerant, agrypnia, anxietates immanes, febriles ardores accenduntur, rationis usus infringitur, iliaca passio præ foribus pulsat, vel actu ægrum invadit, sane ni tempestive inflammatio resolvatur, perfacile ea in gangrenam sphacelumque mutata intra breve temporis spatiū ægrum medios inter foctores enecat.

§. V I.

Quemadmodum peritonæum abdominis musculos interne investiens intestinis, libere in abdomine fluctuantibus, coercendis a natura est destinatum; ita quamdiu idem æqualibus viribus intestinis diaphragmatis defensu & muscularum abdominis contractione impulsis renititur, hernia metuenda est nulla, sed enimvero quando portio ejus rupta vel laxata prementi



menti intestino cedit, tunc major minorve intestinorum pars pro discrepante ruptura vel relaxatione modo subito, modo paulatim elabitur. Imprimis vero huic affectui regio inguinalis est obnoxia. Quantumvis enim in homine, secus ac in quamplurimis brutis, processus peritonaei in abdominis cavitatem non hiet, sed potius orificium ejus interna peritonaei lamina tegat, externa in tubum ipsum seu processum peritonaei explicata, atque ideo vasa spermatica non perforando peritonaeum, sed intra duplicaturam ejus delata processum subeant; tamen cum intestina in homine erectum corporis situm servante perpendiculariter processui incumbant, inferiora mole superiorum fortius premantur, peritonaeum illic loci simplici faltem lamella constet, atque hinc minori renitendi virtute polleat, serosi humores vel a glandulis inguinalibus & vicinarum partium, vel a sanguine per venas spermaticas quamcumque demum ob causam impedito originem ducentes & illuc collecti lamellam peritonaei internam & vicinas partes facile justo laxiores reddant, ratio omnino patet, cur adeo frequenter hernia in regione inguinali, aut si paulo impetuosior fuerit impulsus, in scroto vel pudendis mulierum oboriantur. Et licet plerique practicorum hanc solum viam delineare soleant, tamen cum os ilium sinuositatem, super quam tendines psoas & iliaci nec non vasa cruralia ad femur repunt, formet, & locus ille fascia veluti ligamentosa, quam aponeurosis obliqui externi, a spinæ ossis ilii parte anteriori & inferiori ad ossis pubis sinuositatem excurrens, effingit, obducatur, atque circa prememoratam ilii partem aponeurosis hæcce introrsum replicata ovalem aperturam, quam, ut modo monitum est, non nisi tendines psoas & iliaci cum vasis cruralibus occupant, formet, atque eamdem interne faltem peritonaeum externe integumenta communia investiant, rationi æque ac experientiae perquam est consentaneum, facile intestina sub fascia ligamentosa seu fornice vasorum cruralium relaxato elabi, & herniam non adeo infrequentem præprimis in sexu sequiori constitueret, quam nonnulli ab inguinali supra delineata distinguentes cruralem nuncupare solent. Præterea idem tumor umbilicum frequenter occupat. Quoniam enim circa internam umbilici partem, per quam in fetu vena & arteriæ umbilicales feruntur, fovea quædam conspicitur, & umbilicus ex parte abdominis externa protuberans subinde solito est major laxiorisque consistentiæ, sane cur is non raro intestinis eo compulsiis cedat, eademque recipiat, ex præmissis sponte innotescere arbitror. Rarius paulo in aliis abdominis partibus hernia oritur, quod si tamen tale quid accidat, cuiuscumque demum impetus vim ad eam imprimis partem, in qua hernia oritur, dirigi, aut partem eam fibris muscularum carneis destitui, aut tendineas illic loci justo esse tenuiores, veri est simillimum, præcipue cum istiusmodi naturæ lumen in aliis quoque partibus saepè animadvertere soleamus. Ratio interim patet, cur peritonaeum adminiculis postremo nominatis, & renitentiam ejus alias juvantibus, destitutum impulsu-

inten-



intestinorum sufficienter resistere nequeat, sed potius eidem cedendo herniae fomitem præbeat.

§. VII.

Neque vero existimandum, omnem herniam a peritonæi ruptura unice natales suos deducere; etenim eidem nudam ejus dilatationem sufficere, omphalocele non modo, sed & hernia scrotalis, a Cl. *Præside* [f] delinata, affatim confirmat. Quippe is viri cujusdam hernia completa laborantis meminit, in quo post fata ejus processum peritonæi multo naturali ampliorem, & in eo præter vasa spermatica sacculum membranaceum, ad vaginalem tunicam protensum, atque intestina prolapsa ambientem, observavit. Sacculus vero ille a lamella peritonæi interna orificio processus alias tegente originem ducebat; quippe quæ citra rupturam ullam per processum prædictum ad testiculum protensa explicataque eum ipsum saccum, qui intestina complectebatur, formabat. Ægre autem omnino concipi potest, quomodo istiusmodi pellicula exilis adeo enormiter, & quidem sine sui extenuatione & ruptura, extendi & explicari queat. Sane liquores seruos circa processus peritonæi principium & vicinas partes facile colligi, ex antecedenti thesi jam jam constat. Ideoque humores initio in internæ peritonæi lamellæ tubulis stagnare, stagnantes cumulari, cumulatos paulatim se in interstitia fibrillarum insinuare, hasque pedetentim distractahere, veri est simillimum: atque hoc modo fieri solet, ut relaxata peritonæi lamella prementi intestino cedens paulatim, & quidem sine sui extenuatione explicetur. Cum ea enim res sit animata, certe dum dilatatur, nutritur, & dum nutritur non modo pristinam crassitatem retinet, sed & interdum paulo majorem acquirit.

§. VIII.

Præter istiusmodi humorum peritonæum justo laxius reddentium decubitum multifariæ aliæ occurunt causæ, ad quas lapsus, percussio aliæve injuriæ externe illatæ, peritonæum ad crepaturam usque adientes, nec non justo intensiores abdominis conatus, in diaphragmatis impetuoso defensu & violenta muscularum abdominis contractione consistentes, ac intestina nimis duriter peritonæum versus impellant spectant, quales in vocationibus, tussi ferina, tenesmo, partu difficiili, vomitu &c. animadvertisimus, quibus distinctius recensendis vel explicandis quo minus in præsenti inhæreamus, temporis angustia prohibet.

§. IX.

Equidem hernia intestinalis oculis cognosci & manibus palpari potest;
Tom. III. D tamen
[f] In Programmate s. c.



tamen cum eidem cum ceteris herniæ speciebus non minima cognatio intercedat, ad eam paulo accuratius cognoscendam variis indigemus signis, quæ imprimis a tumoris consistentia, incremento, decremeno, repositio- ne aliisque accidentibus desumuntur. Siquidem hernia intestinalis quidem aliqualem præ se fert mollietatem, renitentia tamen omentalem & aquosam superat. Præterea incrementum & decrementum hujus tumoris subitanè mutationibus est obnoxium; quippe fatus aut alimenta in elapsa intestina paulo impetuosi influxu intra breve temporis spatium plus vel minus eadem expandunt, quæ tamen brevi denuo expulsis contentis collabac- cant, imo vero herniosi pro lubitu spiritu nempe cohibito intestinali herniæ majus incrementum conciliare possunt, ut nihil jam de detumescen- tia cum murnure complicata jam dicam, quæ omnia neque in carnosa, neque in omentalı, neque in cæteris herniæ speciebus observare solemus. Evidem pneumatocele & hydrocele identidem modo increscunt, modo decrescunt, ex tamen mutationes non tam subitæ sunt, nec ab ægri arbitrio dependent. Denique intestina prolapsa convenienti corporis situ spon- te sua relabuntur, aut digitorum ministerio reponi possunt, id quod in cæ- teris herniæ speciebus, excepta saltem omentalı, nullatenus observamus.

§. X.

Quomodo cumque hernia sit comparata, ea flocci pendenda non est. Quan- tumvis enim brachero convenienti quæ coercentur, nihil periculi alat, ge- statio tamen ejusmodi instrumenti haud parum molestiae ægro creat: magis molesta & periculosa est hernia, quando intestina extra abdomen propen- dent. Licet enim interdum quarumvis subligaturarum usu, nec non scrupulo- so dixerat regime posthabito perplures annos sine vita periculo ejus- modi herniam majorem minoremque gerant ægri, separatis tamen tempo- ribus a flatibus, fecibus aliisque in prolapsis intestinis coacervatis perplura- sentiunt mala. Atque eos fortuna haud parum fovet, qui prememorata mala brevi eluctantur; etenim facile fieri potest, ut intestina a quacum- que demum causa inflata a peritonæo & circumpositis fibris carneo-tendi- neis laquei ad instar constringantur & strangulentur, ut hinc non mi- rum, si intestina constricta dolore & propter impeditum sanguinis motum inflamatione, & hæc si tempestive haud discutiantur, gangræna sphacel- loque adficiantur, aut si propter chyloso-excrementitiae massæ in elapsa in- testina ingressum interceptum in iliacam passionem incidat æger. Dolen- dum saltem maximo est opere, quod adfectui huic molesto admodum at- que periculo non semper ex animi sententia mederi queamus. Evidem ægrotanti recenti hernia laboranti & in optimo ætatis flore constituto con- valescentiæ plenarie recuperandæ spes adfulget, non æque tamen seni, aut impuris scatenti succis, aut hernia inveterata, insignem magnitudinem in- depta, aut vicinis partibus adnata laboranti. Nisi enim herniotomiam ad- mittat,



mittat, quæ tamen pariter, ut ex infra dicendis patebit, promiscue adhiberi nequit, necesse est, sola palliativa cura sit contentus, tametsi nec hæc præveniendis malis semper sufficiens sit atque idonea, quin gangræna sphaceloque, aut iliaca passione irrepente tandem medios inter fœtores vitam miseriarum plenissimam finiat æger.

§. X I.

Ex præmissis sponte innotescit, aliam hujus affectus curam esse plenariam, aliam palliativam. Ad utramque remediis tum diæteticis, tum pharmaceuticis, tum chirurgicis indigemus. Quod ad diætética & pharmaceutica attinet, eorum recensione perlubenter in præsenti supersedemus. Si quidem modo ea, quæ occasione ani prolapsus paulo distinctius explicata fuere, probe observentur, & pharmaceuticis emplastrum ad fracturas, sticticum Crollii simileque, nec non cataplasma ex emollientibus & carminativis parata, quorum illa consolidandæ aperturæ peritonæi, hæc inflammationi & flatibus discutiendis, dolori consopiendo, fecibus duris emolliendis apprime conducunt, addantur, omniaque pro circumstantiarum varietate provide feligantur, medicus nisi fallor sufficienti remediorum diæteto-pharmaceuticorum apparatu ad malum radicitus vel palliative curandum erit instructus.

§. X I I.

Quod ad chirurgica remedia attinet, ea ita sunt dirigenda, ut intestina prolapsa reponantur, repositorum novus prolapsus impediatur, & peritonæi apertura consolidetur. Omnibus hisce curativis indicationibus ut facimus satis, vario instrumentorum apparatu indigemus; siquidem herniarum cura vel sine sectione, vel mediante eadem peragitur, illa omnium est tutissima ægroque pergrata, cuique post intestinorum repositionem fasciæ & bracheria sufficiunt. Quod ad repositionem attinet, sane alibi jam monuimus, eam interdum administratu adeo esse facilem, ut æger modum intestina tuto reponendi optime calleat, ideoque aliena ope vix indigeat. Alio vero tempore ea est paulo difficilior, præcipue si intestina in scrotum aut pudenda muliebria sint illapsa. Ideoque tum opera eo est dirigenda, ut ultimo elapsa intestini portio ad annulorum tendinum muscularum abdominis ductum os ilium versus, in hernia vero crurali os pubis & superiora versus molliori dğitorum pressione urgeatur, atque sic una pars post alteram reponatur. Et si *Le Quin* multiplice experientia edocto fides danda, ea intestini pars, quæ ossi pubis proxime accumbit, ultimo elapsa atque ideo primo reponenda erit. Interdum intestina inflata & inflammata reponi nullo propemodum pacto queunt, imo vero si tempore illo inani conatu & duriter tractentur, profecto quævis mala non parum exasperantur. Quare consultius est, tamdiu repositionem differre, donec cataplasmatibus supra indigitatis, dieque ac

D 2

nocte



nocte applicandis, tumor & flatus fuerint discussi. Accidit aliquando, ut vir generofus ex oscheocele inveterata tam desperanter decumberet, ut iliaca pulsio præ foribus jam pulsaret. In hoc perplexo rerum statu chirurgus quatuor milites accerferi jubet, ut ægrum masculine arriperent, inque caput expertis probe pedibus volverent, quid fit, certe intestina, quæ nulla arte reponi poterant, hoc solo corporis situ sponte relabebantur, ægerque a præsentaneo vita periculo ex animi sententia liberabatur. Intestinis quocumque demum modo repositis, opera nunc eo est dirigenda, ut subligatura, vel fasciis novis eorum prolapsus impediatur, herniaque plenarie curetur, vel saltem palliative tractetur. Sane cum icones subligatarum seu bracheriorum in quamplurimorum auctorum scriptis delineatæ occurrant, & non pauci chirurgorum nescio quid arcani in iisdem construendis crepent, prolixiori eorum descriptione in præsenti supersedeo, id saltem tacitus præterire nequeo, usum cujusvis subligaturæ vel fasciæ in loci illius, per quem intestina erant prolapsa, compressione confistere, quæ si cum totius instrumenti gestatione non adeo multum molestiae creet ægro, chirurgus finem suum assequetur, & gratum se ægrotanti præstabit. Ceterum herniæ recenti interdum sola fascia sufficit, modo hæc cautela probe observetur, ut majoris compressionis ergo plumaceoli diversæ magnitudinis loco adfecto applicentur. Ægrotantis vero est, ut, si cum maxime plenariam curam experat, ab omni & potissimum violento corporis motu abstineat, quieti indulgeat, diætæ congruae studeat; Sic enim evenire solet, ut peritonæum nimis dilatatum conglutinetur, vel ruptum consolidetur, cui intentioni simul traumatica interne præscribenda, & emplastra ad fracturas loco adfecto applicanda apprime conducunt. Quod si vero hæc omnia haud sufficient, propterea tamen bracheriorum usus insuper habendus non est, utpote quorum ministerio ægri saltare, curru equoque vehi, & aliis paulo vehementioribus motibus sine damno indulgere queunt, cum contra iis neglectis moles intestinalis prolaporum fere quotidie augeatur, malumque ingravescat, infinitaque alia ex eodem propullulent.

§. X I I I.

Quando æger palliativa cura haud est contentus, modoque enarrata media incassum adhibentur, tandem ad herniotiam confugere solemus, tametsi nonnulli cordati, ambiguum ejus eventum prævidentes, non nisi in extremo necessitatis casu eam adprobent, cum, quosdam durante operatione vel brevi post interisse, autopsia ehen' nos satis superque doceat. Videas tamen interdum ægros, qui herniæ vel ligaculorum pertæsi herniotiam, modo ex eadem plenariæ medelæ spes ipsis adfulgeat, haud parum exposcant, aut alios potissimum empiricos, qui idem remedii genus tanquam tutum certumque ac unicum miseris coimmicident, licet interdum fallantur aliosque fallant. Minima operatio hæcce senibus, aut tabe, scorbuto inveterato similique morbo affectis, aut herniæ insignis magnitudinis minus



minus apposite convenit. Ceterum tempus operationi huic dicatum est vel commoditatis, vel necessitatis. Etenim interdum hernioli ceteroquin bene satis se habent, quo tempore certe a chirurgi arbitrio dependet, quando operationem instituere velit. Alio vero tempore hernia incarcerata praesentanum vitæ periculum dum ægro minatur, necessitas imperat chirurgo, ut, quantocyus fieri potest, ad eam progrediatur; quando enim partes elapsæ gangræna sphaceloque jam dum sunt correptæ, id quod ex dolore subito obmutescere nec non flacciditate & discoloratione tumoris conjicitur, frustraneam tunc esse operationem, quilibet vel me tacente faciliter perspicit negotio.

§. X I V.

Modi operandi ratione herniosi loci, ut & operationis ipsius differunt. Si quidem omphalocele reliquisque ventralibus herniis praesentibus, universa operatio in provida integumentorum incisione, elapsorum intestinorum repositione, & tandem in gastroraphia circumspete administranda consistit. Praesente vero hernia inguinali, scrotali aut pudendorum mulierium, non nulli strictam processus peritonæi ligaturam & testiculi extirpationem, alii aureum punctum, alii processus dilatati, exclusis provide vasis spermaticis, arctam ligaturam, alii processus incisionem & circulorum tendineorum sacrificeationem suadent.

Quacumque operandi methodo utamur, ante omnia elapsa intestina repanda veniunt. Jam vero si intestina externis partibus sunt adnata, aut hernia adest incarcerata, eam facta demum integumentorum incisione instituendam esse, sponte innotescere arbitrari; Et quidem in omphalocele aliaque abdominis hernia integumenta ab adstante ministro & ab operatore elevata tam circumspete lateque incidenda veniunt, ut illæsa & nuda intestina in conspectum prodeant, in hernia vero inguinali vel scrotali integumenta ad tractum processus peritonæi ita sunt secunda, ut non modo processus peritonæi illæsus permaneat, sed & sectio oscheocèle præsente ad scrotum usque extendatur. In hernia vero crurali nonnulli recentiorum suadent, ut integumenta ad transversum fornicis vasorum cruralium ductum transversim & nonnihil oblique incidentur. Et cum incisio imprimis in hernia incarcerata paulo sit difficilior, opus interdum est, ut quacumque apertura facta, ea stylo sulcato cultroque convenienti, vel forifice crure obtuso instructa provide dilatetur. Facta incisione sanguineque absterso intestinorum prolapsorum repositio omnibus modis est molienda, ad quam juvandam necesse est, in bubonocele, ut saccus molliori digitorum pressione tractetur & intestina paulatim in abdomen intrudantur, quibus repositis, saccus in acervum collectus aperturæ inseratur, huicque pilula ex-linteo filamentis concertis repleto conlecta, & mixtura, ex albumine & vitello ovorum nec non spiritu vini facta,



facta, probe imbūta, huicque plumaceoli superimponantur, omniaque fascia congrua firmentur, sic fieri interdum solet, ut sine sacculi incisione hernia ex voto curetur. Quod si vero hac methodo intestina reponi nequeant, opus est, ut saccus intestina comprehendens provide incidatur, intestina tum hic, tum aliis in herniis alibi adnata circumspete separantur, flatusque discutiantur. Hunc in finem non inepte portio intestini ultimo elapsa prehenditur leniterque trahitur, quo per partem intestini ex abdomine recens extracti flatus dissolvi, faciliusque molliori intestinorum pressione in abdomen urgeri queant, quæ methodus illi merito præfertur, qua acu triangulare hinc & inde intestina ad flatus incarceratedos elicendos punguntur; ut enim de aliis incommodis nil quoquam dicam, fane frustra non raro intestina hoc modo pungi, fida rerum magistra, experientia puta, perspicue docet. Porro necesse est, aliquando peritonæum vel annuli tendinei provide incisionis beneficio dilatentur. Quando namque prædictæ cautelæ haud sufficiunt, atque angustia annulorum tendineorum vel peritonæi omnem intestinorum repositionem prohibet, peropus est, ut partes hæ circumspete incidentur, quem in finem stylo sulcato cultroque incisorio, vel peculiari instrumento, partim stylo curvo & sulcato, partim cultro in eo abscondito constante, chirurgus utitur. Et licet in omphalocele aliaque abdominis hernia parum damni ex incisione peritonæi, modo non eodem tempore intestina improvide sauentur, sit metuendum, annuli tamen tendinei paulo circumspectius incidendi veniunt, etenim incisionem magis ad internam, quam externam annuli columnam dirigendam esse, arteria externæ accumbens admonet. Nihilominus si operationis tempore præter opinionem accidat, ut sanguis profluiens operatorem conturbet, opus est, ut styptico effluxus ejus illico sistatur. His probe observatis, sine mora intestinorum repositiō est administranda, circa quam ne verbum quidem addo; utpote de qua alibi jam tum ex instituto egimus. Repositis quibusvis partibus, reliqua cura in eo consistit, ut in omphalocele aliaque abdominis hernia gastroraphia dextre perficiatur, in inguinali vero & scrotali annuli tendinei convenienti instrumento provide scarificantur, tametsi plures hodiernorum Chirurgorum prædictam scarificationem ceu superfluam & nocivam penitus rejiciant, atque ideo statim aperturæ vel pilulam supra descriptam, vel plumaceulos diversæ magnitudinis liquore styptico imbutos applicent, omniaque fascia congrua firmentur. Sic fieri omnino non raro solet, ut etiam herniae incarceratedæ ex voto medeamur, id quod *Garengeot* [g] non modo pluribus observationibus confirmat, sed & varia simul proponit, quæ huic operandi methodo non minimam lucem accendent, ad quem propterea benevolum Lectorem jam remitto.

§. X VI.

Quod si vero ante sectionem elapsa intestina jam tum fuerint reposita, ita

D 3

ut

[g] *Traité des Operations* T. 1. c. 6. 7. 8.



ut in bubonocele & oscheocele peritonæi processus incisione, præcipue si su-
pra enarrata methodo herniæ mederi nolimus, opus non sit, sane nonnulli
& imprimis empirici, via compendiosa omniumque simplicissima, facta nem-
pe in regione inguinali ad scrotum usque incisione, testiculum lateris adfecti
non mediocri celeritate a scroto binis anterioribus digitis separant, separa-
tum cum processu peritonæi protrahunt, huncque prope musculi obliqui
externi tendinem filo lino ceratoque fortiter constringunt, subque ligatura
cum testiculo absindunt, sicque intra breve temporis spatum adfectum
huncce curant. Licet vero consolidata residua processus peritonæi portione
novus intestinorum prolapsus optime impediatur, sunt tamen alii, qui ope-
rationem hancce tanquam crudelem, periculi vitæ minime expertem & cum
castratione complicatam penitus rejiciunt, id sibi potius curæ cordique du-
centes, ut vasa spermatica cum testiculo illibata conservent. Quare jam au-
reo puncto, jam provida ligatura utuntur; ad illud filum aureum aut plum-
beum crassitiem acus communis æquans adhibetur; Siquidem repositis repo-
nendis factaque cutis inguinalis incisione processus dilatatus vel ruptus a vi-
cinis partibus separatur, filumque sub eo prope abdomen trajicitur ita, ut
idem totum processum stringat. Non parum autem intererit, ut fili extremitates tam artificiose contorqueantur & occultentur, ut neque aculeis suis
quicquam molestiæ vicinis partibus creent, neque idem filum processum an-
gustans & intestinorum prolapsum impediens, vasa spermatica premat, ne-
que motum cum sanguinis, tum spermatis cohipeat; Etenim sic demum per
totum vitæ tempus idem in vulnere consolidato ad præpediendam intestino-
rum eruptionem relinqui potest. Ad alterum operandi modum quod attinet,
sunt omnino nonnulli, qui suadent, ut acus filo instructa per dilatatam pro-
cessus partem trajiciatur, hæcque filo relicto firmiter constringatur, studiose
cavendo, ut ne unum alterumque vasculum spermaticum simul prehenda-
tur, sed potius provide separata in parte processus non ligata intacta relin-
quantur. Licet itaque hi operandi modi sint satis ingeniosi, eos tamen admi-
nistratu esse perdifficiles, non raro frustraneos, imo nocivos, rem accura-
tius paulo perpendenti cognitu difficile non erit. Quare nisi hernia incarcera-
ta præsentaneum vitæ periculum ambigui eventus remedium potius, quam
nullum postulet, fortassis e re ægrotantis magis erit, si sola palliativa cuta sit
contentus.

CAPUT



C A P U T I V.

De intestinis e superficie abdominis externa protuberantibus.

§. I.

EQuidem nunc mihi perapta daretur occasio, de vastis abdominis vulneribus, deque intestinis illorum occasione prolapsis, atque jam integris, jam fauciatis, nunc inflammatis, nunc flatu expansis alioque morbo affectis, nec non de futura tum vulnerati intestini, tum abdominis, quam postremam grecę gastroraphiam nuncupare solemus, distinctius paulo agendi. Sed liceat certas ob rationes hæc omnia sicco præterire pede, saltem casus paulo rariores impræsentiarum nonnihil contemplaturus. Sane Cl. Schreckius [h] memorabilem recenset historiam: dum aurifabri nostratis, inquiens, *uxor grāvida*, aliquot jam antea liberorum mater facta, postquam vituli exenterationem in macello non sine horrore contemplata fuisset, filiolam mortuam partu admodum difficii exclusit, cuius pars dextra abdominis non procul ab umbilico, ad spithame fere longitudinem dehiscebat, lateribus divulsionis signum non præbentibus, sed callo quasi obductis; e quo biatu intestinula propendebant. Itaque quaslibet gravidas paterne hortatur, ut vehementiores animi commotiones tantas in tenello turbas excitantes, quantum possibile, fugiant. Simile quid citra istiusmodi animi pathema fieri posse, catulus maturus me docuit, quippe qui partu exclusus non modo tres saltem pedes spectandos exhibebat, caruncula prominente defectum pedis quarti supplente, sed & intestinola fere omnia cum omento ex abdōmine a pectore ad os pubis hiante protuberant, quem curiositatis ergo Excellentissimus Dn. Praeses etiamnum rariora inter affervat.

§. I I.

Porro Dodoneus [i] quondam mulierem vidit, de cuius vulva disrupta intestina omnia profluxerant, quæ paucis post diebus miseram finiit vitam. Neque minus memorabilem casum Bourchardus [h] recenset; is namque cæteroquin bene se habentem vidit militem, ex cuius abdomine, ante triennium catapultæ glande vulnerato, coli pars semipalmo longior protuberans feces egerebat omnes, consueto earum exitu per anum penitus

[h] Ephem. N. C. D. 1. A. b. Obs. 232.

[i] Obs. Medicin. C. 5. p. m. 135.

[k] M. N. C. D. 1. Ann. 3. Obs. 8.



nitus intercepto. Non absimiles casus [l] Bleghy [m], Mackius atque [n] Anhornius de Hartwic recensent, quibus multo curiosiorem Excell. Dn. Preses [o] addit; nempe miles, inquit, paucis ante diebus ad me accedens, referebat, se quatuordecim annos per epicolicam regionem finisiram feces excreuisse. Curiositatis itaque gratia locum adfectum pluribus discipulis presentibus, & postea ter quaterve seorsim attentius paulo perlustravi, atque non sine admiratione coli portionem sedecim pollices longam, & novem pollices crassam, ex prememorato abdominalis loco protuberantem, penitusque inversam observavi, media circiter ejus parte veluti basi vulneri externo quatuor pollices lato firmiter adiuncta. Intestinum hoc prolapsum duplice orificio, uno superiori, altero inferiori; ex illo feces promanant, in hoc infusus liquor per brevissimum temporis spatium ano excluditur. Eger sine dolore illo in utrumque orificium digitum alte non modo inserit, sed sano quoque lateri incumbens, quamlibet intestini portionem in abdomen paulatim reponit. Huic malo vulnus, olim abdominali gladio punctum infictum, occasionem dedit: cum enim ex eodem iuscula deglutita prodirent, vulnus intestini merito suspicatur chirurgus; proinde miserum ex mediis orci fauibus ut eriperet, vulnus exterrunt ad denudandam intestini vulnerati portionem circumspete dilatavit, at intestinum inversum animadvertisse funesta quævis ominabatur, præcipue cum partem inversam rite reponere, atque ideo suturam adhibere negatiret. Accidit vero, ut solius fere nature operantis ministerio non dumtaxat intestinum vulnerare paulatim egredetur, sed & portio ejus media & inferior vulneri externo undiquaque agglutinaretur, agrotante aliqui valido firmoque existente. Quemadmodum vero tunica villosa ribedine perfusa, nec non glandulosa corporcula hinc & inde dispersa, ut & motus intestini, utope quod imprimis ad aeris frigidioris attacum sensibiliter & abbreviatur & contrahitur, in sensum cernendi venit; ita verisimilimum videtur, ex sauciata intestini parte tum superiore, tum inferiore coli portionem non modo inverse extra abdomen siuisse protrusam, sed & utramque aut clarius loquendo medianam partem vulneratam atque inversam cum vulnero externo coaliuisse, ut jam quidem prolapsus ille unius intestini faciem reserat, cum tamen vere duplex sit coli portio, id quod non obscure exinde innescit, quod liquor in orificio inferius infusus per superius non redeat, sed ad anum urgeatur, uti ex supra dictis iam iam patet. Et hec dubio procul est ratio, cur, repositis hisce partibus & agrotante placide dormiente, nihil fecum in abdomen illabatur, sed pars earum per vulnus eliminetur, pars vero ab inferioris intestini orificio absorbeatur, atque hinc eger utut perraro aliquid fecum per anum egerat.

§. III.

[l] Zodiac. Gallic. Ann. 2. p. 123.

[m] M. N. C. D. 2. Ann. 8. Obs. 229.

[n] Obs. N. C. Cent. 1. Obs. 6.

[o] Programm. occasione cadaveris masculin. d. 24. Aug. 1720. edit.



§. III.

Quemadmodum vero *Excell. Dn. Praes* in eodem programmate fatetur, hæc omnia accuratum mereri examen, ita *Clarissimus Vaterus* [p] eum laborem præclare quidem executus est, tamen cum mihi *Excell. Dn. Praes* ante istius dissertationis editionem tres icones monstraverit, quarum una intestini prolapsi dispositionem plenius nisi fallor ob oculos ponit, reliquæ vero phænomeni rarissimi rationem clare & perspicue explicant, tandem ab eo propemodum invito obtinui, ut eas æri incisas dissertationi huic majoris illustrationis ergo adjicerem.

§. I V.

Interim perrari istiusmodi casus non modo insignes naturæ vires affatim loquuntur, sed & medentes hortari videntur, ut in gravioribus intestinorum vulneribus vestigia ejus legant, & si non alia medendi methodus suppetat, intestini etiam transversim dissecti portionem situ superiorum externo vulneri adnectant, sicque efficiant, ut ne feces in abdomen effundantur, sed potius per adsutum intestinum tanquam novum anum excernantur, id quod non infelici successu quondam fuisse peractum, *Cl. Blegny* testatur.

T A B. X V L E X P L I C A T I O.

Figur. I.

- A. Intestini coli portio superior inversa, per quam feces excernuntur.
- B. Ejusdem intestini portio inferior nihil fecum reddens.
- C. Portio intestini vulnerati inversa, cum externo vulnere coalita, & cum a. b. unum quoad externam faciem canalem formans, ut ut mirabili præmemoratarum partium inversione a. b. duo sint distincti canales.

Fig. II.

- A. Vulnus intestini.
- B. C. Duæ ejusdem intestini portiones, quæ e vulnere a. facile inverse protrahi possunt, ut in fig. 3. animadvertere est.

Fig. III.

[p] De vulnerum in intestinis lethalitate &c.



Fig. III.

- A. B. Duæ unius intestini portiones.
 A. C. Superior intestini portio vulnus ingrediens.
 C. E. Eadem portio vulnere egressa & inversa.
 B. D. Inferior intestini portio idem vulnus subiens.
 D. F. Eadem portio vulnere egressa & inversa.
 G. G. Portio intestini vulnerata in fig. 2. repræsentata atque inversa, canalem h. e. g. f. i. quoad externam faciem continuum formans, tametsi c. e. & d. f. vere duo distincti canales sint; etenim cum e. c. ad a. & f. d. ad b. pertineat, sene quicquid per a. c. descendit, non per i. sed faltem per h. effluet, & quicquid per i. infunditur, ad h. non transibit, sed per d. b. adscenderet, & per orificium k. effluet. Hæc si figuræ l. applicentur, ratio clare patet, cur a. b. duo distincti sint canales, licet unius intestini duæ sint portiones & cum c. c. continuum quoad externam faciem canalem forment.

Fig. IV.

- A. Intestini portio superior notabiliter contracta.
 B. C. D. Intestinum duplicatum.
 E. Mesenterij portio cum intestino a. proximum subiens.

F I N I S,

E 2



(36)



D I S.



Landesbibliothek Oldenburg

LIX.

D I S S E R T A T I O
M E D I C O - C H I R U R G I C A ,

D E

ΕΝΤΕΡΟΠΕΡΙΣΤΟΛΗ

S E U

I N T E S T I N O R U M C O M P R E S S I O N E

Quam tuebatur

J. H. L A V A T E R .

T I G U R I N U S

Basileæ 18. Septembris 1672.

E 3



Landesbibliothek Oldenburg